

videtur, vel potius contra *typosim*, *figurationem* in aere factam, cum tamen nihil aliud eam esse^{viii} Democritus voluerit, quam speciem illam non Aristotelicam (nihil enim Aristoteles de ea) sed Alexandream.

5 Testes pro Democrito sunt Plutarchus atque Aetius unanimiter ita scribentes:⁴³, *Democritus, Epicurus, per idolorum ingressus putarunt visivum evenire*. Idola autem haec non aliud sonant quam species [306] illas, quae per medium diaphanum in oculos incurrere ab Alexandro contenduntur, sed quod Aristoteles subdit:⁴⁴ *Absurdum etiam quod illi non venerit in mentem dubitare, cur oculus videt solus, aliorum vero nullum in quae apparent idola*. Irrisorem potius arguit quam philosophum, quod capite 4. ait:⁴⁵ *Democritus et plurimi physiologorum, quicumque loquuntur de sensu, absurdissimum quiddam faciunt, omnia enim sensibilia tactilia faciunt*. Id nequaquam discipulus eius fatetur Theophrastus, qui eo, quem diximus libello, ex professo antiquorum, Parmenidis, Empedoclis, Heracliti, Anaxagorae, Alcmaeonis, Clidemi (huius nusquam Aristoteles meminit), Diogenis, Democriti, Platonis opiniones de sensibus recensendas sumens, nihil tale vel de his omnibus vel de Democrito scripsit.

At etiam si scripsisset, si verum id esset eos eius sententiae fuisse, an error hic esset? De tactus obiectis, de saporibus Aristoteles fatetur tactu sentiri. Quid odores, soni? Nonne aerem iis affectum vel commotum tangere sensorium necesse est, si sensatio

⁴³ Δημόκριτος Ἐπίκουρος κατὰ εἰδώλων εἰσκρίσεις φοντο τὸ όρατικὸν συμβαίνειν; [PS. PLU. Plac. 901.A.8 – B.1]

⁴⁴ ἀτοπὸν δὲ καὶ τὸ μὴ ἐπελθεῖν αὐτῷ ἀπορῆσαι διὰ τί οἱ ὄφθαλμοὶ δόξῃ μόνον, τῶν δ' ἄλλων οὐδὲν ἐν οἷς ἐμφαίνεται τὰ εἶδωλα. [ARIST. Sens. 438a.10 – 12]

⁴⁵ Δημόκριτος δὲ καὶ οἱ πλεῖστοι τῶν φυσιολόγων, ὅσοι λέγουσι περὶ αἰσθήσεως, ἀτοπώτατόν τι ποιοῦσιν. πάντα γὰρ τὰ αἰσθητὰ ἀπτὰ ποιοῦσιν. [ARIST. Sens. 442a.29 – b.1]

^{viii} Auct. corr. ex essa